



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

§.48. Ecclesia Salisburgensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII. dam veluti pignus dignitatis imperato-  
A.C. 1258. riæ. Rex itaque Dominus vester solenni  
 ritu eligi, & Aquisgrani coronari se cu-  
 ret: tunc ejus promotioni favebimus.

*an. Rayn.*  
 1263. n. 16.

Interim Papa Richardum agnoscens Re-  
 gem Romanorum, hunc ei titulum in e-  
 pistolis dabat suis. Unde factum, ut  
 multi Italiæ Proceres illi fidem promit-  
 terent.

§. XLVIII.

*Ecclesia Salisburgensis.*

*Stero an.*  
 1257.

*Chr. Salisb.*  
 an. 1246.  
*Canis. to. 6.*  
 p. 1263.

Philippus Bernardi Carinthiæ Ducis fi-  
 lius abhinc annis amplius decem in  
 Archiepiscopum Salisburgensem electus  
 hujus Ecclesiæ proventibus fruebatur;  
 sed ne in Sacerdotem quidem initiari vo-  
 lebat. Conquerente hac de re Canoni-  
 corum collegio Papa Alexander Philip-  
 pum admonitum post semestrem spatium  
 munere abstinere jussit; & post alios sex  
 menses de gradu dignitatis dejecit secun-  
 dum constitutionem 7 Martii an. 1255  
 factam, qua sanxerat, ut electi Episcopi  
 intra sex menses consecrari se curarent.  
 Cum proin Sedes Salisburgensis declara-  
 ta esset vacua, Collegium Cathedrale  
 Henrico Episcopo Chiemenfi Ord. Præd.  
 Præpositoque ac quibusdam Canonicis  
 Salisburgensibus Ecclesiæ suæ caput  
 cooptandi copiam fecit: qui Udalricum  
 Secovien-

*ap. Rayn.*  
 1256. n. 16.

*Chr. Salisb.*  
 1257.

Secoviensem Episcopum ejusdem provin- Sæcul. XIII.  
 ciæ in Archiepiscopum elegerunt: & Pa- A.C. 1258.  
 pa rem ratam habuit per litteras 5 Sept. Rayn. 1257.  
 an. 1257 datas. n. 10.

Haud cessit Philippus; & a Rege Bo-  
 hemiæ Austriæque Duce defensus, Salis-  
 burgo locisque huic obnoxiiis imposito  
 præsidio aliquamdiu per vim se tuebatur.  
 Tum vero Papa Episcopo Chiemensi per *Stero ibid.*  
 litteras præcepit, ut omnes Episcopos  
 Suffraganeos, & clientes beneficiarios  
 Ecclesiæ Salisburgensis in subsidium vo-  
 caret intentando renuentibus prædiorum  
 jacturam. Ille hujus mandati authorita-  
 te Philippum novo Archiepiscopo Udalri-  
 co arces ac propugnacula Ecclesiæ Sa-  
 lisburgensis intra quindecim dies redde-  
 re jussit, declarans, eum, nisi morem ge-  
 reret, una cum fautoribus ipsius proscri-  
 ptum iri. Cum non paruisent, Berthol-  
 do Episcopo Passaviensi scripsit, ut hanc  
 censuram in diœcesi sua promulgandam  
 curaret, seseque jungeret reliquis Suffra-  
 ganeis, Philippo & proprias, quantas ha-  
 berent, & profanæ potestatis vires op-  
 posituris. Dabat 7 Maji 1258. Ita res  
 ecclesiasticæ sæpe fiebant profanæ, atque  
 in bella desinebant.